



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Immoderata nequitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

sed etiam mordeat. Ejus verba sunt non importune repetenda. Anseribus cibaria publice locantur, & Canes aluntur in Capitolio, ut significant, si fures venerint: at fures internofcere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, in eam partem potius peccant quae est cautior. Quod si luce quoque Canes latent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor his crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum Anseres sunt, qui tantummodo clamant, & nocere non possunt: alii Canes, qui & latrant, & nocere possunt.

SUOS TANTUM CURANS. CAP. XXXVI.

Neque illud dissimulabimus, quod hominem, qui suae tantum familiae curam suscipiat, aut rerum tantum suarum satagat, quid rei gerant alii securus, ac minime curiosus, per Anserem ovivis incubantem, apto admodum hieroglyphico indicare possumus. Anseres siquidem, ut Quintilius, qui de agricultura, quam diligentissime scripserunt, tradidere, aliena ova in suo etiam genere fovere nequaquam solent: quare curatores eorum, dum ova pariunt, certis characteribus uniuscujusque factum signare debent, atque ita unicuique sua ad novem supponere.

DE PERDICE. CAP. XXXVII.

Dissimulanda fuerat & Perdix, ne pudendum super ea significatum propalam proponeremus: sed quoniam suscepti operis ordo nos compellat, nihil est suppressendum, quod inter hieroglyphica a veteribus adnumeratum invenerim. Habere vero potest Perdix cum chortalibus locum, quod ea quoque domi alitur, saginatur & cicuratur. Sedenim vitia ideo ponuntur, reprehendi possint, quodque abominabile videatur mortales audientes ipsi absterreantur.

AMOR TURPISSIMUS. CAP. XXXVIII.

Impudicissimum hominem, tamque efferata nequitia perditum, ut in consanguineis quoque nullo pudore sit petulans, significare si vellent Aegyptii sacer dotes, Perdices duas pingere sunt soliti: ipsae enim conjuge viduatae, sese invicem abutuntur. Mares quippe, ut cernere est ex iis, qui domi aluntur, inter se tumultuant, clamitant pugnantque de coitu conferunt, quos caelibes vocant: qui autem victus in pugna fuerit, sequitur victoris Venerem, neque aliud pugnae praemium, nisi victum a victore pollui. Verum hoc non fieri semper, sed certo anni tempore, observatum ait Aristoteles. Illud fere semper, ut cum primum pullus exire coeperit, a mare subigatur: nec tibi mirum a deo videatur, quod Marcellus Perdices ex avibus virili genere appellandum dicat, Varronis autoritate nixus. Romani sane pro hujusmodi notae puero, pullum dicere soliti sunt: unde Q. Fabium, cui Eburno propter candorem cognomen fuit, pullum Jovis appellarunt, quod natis ejus fulmine icta fuerit, quasi eam Jupiter appetisset: cum potius interpretari debuerint, & eum, & ejus amatores omnes igne perdendos esse. Apud Aufonium quoque, Marcum quendam impudicissimum selem pullariam dictum reperias. In fabulis fertur a quibusdam, Perdices venatorem matris amore deflagrasse, ut eadem improbitas sit filiorum in matres, quae in eo alitum generis parentis est in filios. Sunt qui fingunt historiam, sunt qui Philosophicum sensum applicent, sed ipsa volueris impudica procacitate argumentum fabulae proculdubio suppeditavit. Quare mihi non deliciarum tantum causa videtur Helioabalus Perdices plumulis in stratis, in pulvinaribus, ac etiam accubitis, passim usus, quantum naturae similitudine: cum portentosus ille, virne dicam an brutum potius, nullum nequitiae genus intactum reliquerit, pudore proflus omni perditum atque profligato.

Atque favinorum fecundia consumpti fuisse. Helioabalus stratum.

IMMODERATA NEQUITIA. CAP. XXXIX.

Plin. lib. 10. ap. 23.

Sed ut semel dicam, nihil ad enervatissimam libidinem, & impotentissimam salacitatem exprimentam Perdices commodius, quae plerumque de coitu tanta efferatur rabie, tantaque aetuat libidinis intemperantia, ut mas ova interdum frangat: ne cubando detineantur foeminae: quo circa illas, ut fetus sospitent suos, ova modo huc, modo illuc, quo mares fallant, transferre coguntur.

PRÆ-